



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE USQUE COLERE SANCTA FAMILIA IESU, MARIA ET IOSEPH
PRINCIPLAIS PATRONA

ATQUE SANCTI PETRUS ET PAULUS SECUNDARII PATRONI

CAMPENSIS ECCLESIAE APUD DEUM CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Usque colere catholica
Ecclesia et caelites honorare consuevit, quippe qui tum sanctitatis exempla praebeant luculenter imitanda, tum
hominibus ipsis, vitae cursum agentibus, beneficia opemque salutarem ferant. Sancta autem Familia summe id perficit,
nostris praesertim temporibus, cum exemplis insignique vitae specie praestet. Principes Apostolorum quoque
conspicuum obtinent locum idemque praeclara veluti sidera Christifidelibus exhibentur. Quapropter libenter postulatis
obsecundare properamus Venerabilis Fratris Danielis Francisci Walsh, Episcopi Campensis, qui, communia optata
excipiens fideliumque mentes significans, a Nobis postulavit ut Sancta Familia Iesu, Mariae et Ioseph principalis Patrona
ac Sancti Petrus et Paulus secundarii Patroni confirmarentur, ad normam Instructions «de Calendariis particularibus
atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30. Nos vero ad iuris praescripta omnia acta esse pro
comperto habentes scientesque hanc rem fidei et pietatis incrementum afferre, admotis precibus ex ammo
concedimus. Itaque iis probatis quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis olim
facultatibus, placet Sanctam Familiam Iesu, Mariae et Ioseph principalem Patronam et Sanctos Petrum et Paulum
secundarios esse haberique Patronos Campensis dioecesis, omnibus concessis iuribus et privilegiis, quae rubricae
convenienter tribuunt, contrariis quibuslibet non officientibus rebus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo
Piscatoris, die XV mensis Septembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.* ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana